

Neque etiam in externa tali reverentia æstimium debitum consistit, quando Judæi non audent sedere in scamno, in quo V. T. jacet, neque codicem s. libris profanis interponere, sed superiorem illi semper locum concedunt, notantibus iisdem Autoribus; quæ in re Moscovitæ iis quodammodo accedunt, Biblia s. non prius tangentes, quam capite aliquoties inclinato, & præmissa signatione crucis, si fides habenda *Anonymo in dem Moscovitischen Kirchen-Staat* / quem excerpfit *Tenz, Coll. Menstr. Ao. 98. p. 325.* Verum, etsi utique Christianum non deceat codicem s., lectioni suæ inservientem, hinc inde projicere, pedibusque substernere quæle quid committentes in ruborem dantur ab Alexandro M., qui in scrinio quodam pretiosissimo inter prædam reperto nihil dignius recondi posse existimabat, quam *Homerum*, cujus lectionem in deliciis habebat: sicut & alias res, imprimis libros, quibus antiquitas auctoritatem conciliare potest, non adeò vilipendere solemus: justum tamen æstimium in eo consistit, ut lector res S. literis contentas omnibus mundi divitiis atque bonis, cum Davide Psal. CXIX, 14, 24, 25. præferat, quorsum tendit. *R. Chija in Talm. Hieros. Peab*, quando ait, כל העולם כולו אינו שוה לדבר אחר מן התורה, *Totus mundus non æquivalet unico verbo legis*: quod effatum cum variis ejus generis collegit sub titulo *Lux, Buxtorff. in Florent. Hebr.*: nec non ulterius, ut dicta ejus divina cum mundi filiis ad jocum & materiam ridendi non adhibeat & suggillet, neque in gratiam hypothesium falsarum, nedum impiarum, qualemcunque fucum adhibendo, depravet, quod in more positum erat tum antiquis impostoribus inter *Judeos*, tum recentioribus, ac speciatim illi ex Judæo Atheo *Spinosa*, cum is e. g. in *epistolis*, (quæ in editione anni 1677. inter *Opera Postuma* junguntur *Ætica* illius, libro ut *rarissimo*, teste Pl. Rev. Dn. *Luc. Kestnero in Diss. de religione prudentum* tb. 47. p. 79, ita pestilentissimo) num. 23. p. m. 455. phrasin, quando Deus dicitur *manifestatus esse in carne*; ut elevet unionis mysterium, per alium locum, ubi phrasin ea occurrit, explicare conatur, possimè